

24

DISSERTATIO ACADEMICA,
ANIMADVERSIONES QUASDAM
DE
VARIATIONIBUS AVIUM
QUOAD IPSARUM COLOREM
EXHIBENS;

QUAM
CONSENS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PRÆSIDE
D. NO CAROL. NIC. HELLENIO,

PHILOS. ET MED. DOCT., OECON. PROF. REG. ET ORD., NEC NON REG. ACAD.
SCIENT., SOC. PAT. HOLM., IMPER. ACAD. NAT. CURIOS. ET REG.
SOC. OECON. FENNICÆ MEMBRO,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÆ CENSURÆ OFFERT

ALEXANDER CAJAN,

Ā. H. AD. REG. LEGIONEM VELITUM CAJANABURG. SIGNIFER, OSTROB.

In Auditorio Mathem. die VI Junii MDCXCVIII,
horis a. m. confuctis.



A B O Æ,
Typis FRENCKELLIANIS.

à

MONSIEUR LE BARON
CHARLES CONSTANTIN
DE CARNALL,
Adjudant Général de Brigade, et Lieutenant Colonel.

MONSIEUR,

S'il m'étoit possible de peindre mes sentimens à l'égard des bienfaits, dont Vous m'avez comblé; Vous verriez que je sens tout leur prix: mais je ne fais ni exprimer le mouvement de mon cœur, ni faire l'éloge de Vos mérites. Permettez moi donc seulement de Vous offrir ces feuilles, comme une marque de ma reconnoissance et de mon estime de Vos vertus et de Votre sçavoir. Je suis avec le plus profond respect,

MONSIEUR,

*Votre très-humble
et très-obéissant serviteur
ALEXANDRE CASAN.*



PRÆFATIO.

Qui vel e limine, ut ajunt, Ornithologiam sive Historiam Avium Naturalem salutavit, in tanta obsectorum multitudine, quæ complectitur, nisi dissimilia a dissimilibus justa et naturæ convenienti methodo distinguantur, æque ac similia similibus adjungantur, nihil omnino certi de iis tradi vel disci posse, oppido profiteatur oportet. Quam primum itaque in deliciis haberi cœpit hoc studium, hujus cultores ingenii sui vires, licet non æque felici, quod nemo miretur successu, omnes in id intenderunt, ut ordinem, quo aves disponi possent, legibus naturæ detegerent convenientissimum. Impigris et fatigari nesciis horum laboribus, nostro quoque ævo ea contigit felicitas, ut laudata hæc scientia expeditas adeo facilesque obtinuerit rationes, ut quilibet, degustatis ejusdem principiiis, apprehensis terminis et cognitis legibus artis, ex ipsa ave pervideat, ad quam Classem, ad quem Ordinem, ad quodnam denique illa genus pertineat. Sed, quæ demum plenam huic scientiæ mutuaretur lucem, specialis cognitio individuorum, qua constaret, quænam huic vel illi speciei generis cujusdam vere inferenda sint individua, illam certioribus in hac quam in reliquis Historiæ Naturalis partibus, inniti fundamentis nondum asserere audemus. Sunt quidem individua ejusdem speciei sibi satis similia; tantam tamen interdum subeunt variationem, ut non raro sagacissimum quemque decipere queant. His VARIETATUM nomen indiderunt Naturæ Mystæ, quarum et indolentæ et genuinas cognoscere causas, quanti intersit, nemo non videt. Iisdem enim bene cognitis et perspectis species, si

unquam certæ et fixæ, determinari possunt, alias vagæ inque non minimam scientiæ calamitatem errorum fertilissimæ futuræ. In familiis avium colorum mutationes et hinc ortæ individuorum diversitates maximam efficiunt varietatum partem, quæ, ne confusionem in speciebus constituendis pariant, necesse est diligentissime rimentur. De his quasdam in sequentibus paginis animadversiones, ut opinor, non proflus inutiles, pro virili in medium proferre mihi metum proposui, BENEVOLUM LECTIOREM enixe rogans, ut benigne excipiat hoc studiorum tixocinium, atque

*Det veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit.*

§. 1.

Coloribus ludunt aves ejusdem speciei multiplici respectu, quorum ille primum considerandus venit, qui inter diversos haud raro locum obtinet sexus. Quocirca mox monere licet, vulgatissimam colorum varietatem sexus inter eo absolvi, quod Mares coloribus eniteant floridioribus; de cujus rei veritate, ut in luculentissimo maneamus, exemplo fatis superque evincimur PAVONIS *Cristati* Maris pennis uropygii elongatis pulcherrimeque ocellatis semet ostentantis, quibus unacum reliquarum pennarum nitore vividissimo feminam suam, licet minime decolorem, multis superat parasangis. Omnis vero exceptionis expertem hanc observationem neutiquam pronunciare audeamus; ad sunt quippe exempla, licet rariora feminarum, quæ Maribus suis multum excellunt colorum præstantia. Ad unum quippe eundemque tenorem effingere omnes procul dubio Creatoris sapientia noluit consummatissima. Hinc in OTIDUM genere femineus sexus speciei *Tetracis* masculino ab omnibus longe æstimatur pulchrior. (a) Colorum pulcritudine et nitore

(a) Vid, GOEZE Europæische Fauna, V. B. 2 Abth. p. 442.

nitore femina quoque *ALAUDE Arboreæ* mari suo præfertur ab omnibus, quibus horum sexuum aliquando comparationem inter se fecisse contigit. (b) Quibusdam porro avium familiis proprium est, ut inter sexus vix quædam ab externo earum habitu, quo dignosci posent, appareat differentia. De *CORACUM* ordine, quem genera complectentem *CORVI*, *CORACIÆ*, *CUCULI* et *ORIOLI*, non præter omnem rem, de ordine *PICARUM* Linnæi, recentiores, *Celeb. BLUMENBACHIO* præeunte, divulgum volunt Ornithologi, jam dudum observatum est, quod colore sexus minime inter se differant. Si quæ etiam colorum diversitas inter sexus hujus ordinis observanda venerit, illa procul dubio pendet a diverso depositionis pennarum tempore alterutri sexui præscripto. Feminarum forte ob ardentius incubandi desiderium pennæ prius dilabuntur quam Marium; quo factò nemo mirabitur, si recentior hic vestitus feminarum paululum a senio confecto Marium hoc temporis articulo discrepet. Brevi autem hoc discrimen perit atque aboletur. De generibus *HIRUNDINIS* et *CAPRIMULGI*, quæ itidem de Ordine *PASSERUM* Linnæi sub nomine *HIRUNDINACEARUM*, nostri temporis sejungunt auctores, (c) idem valet, quod scilicet adulta ætate sibi invicem adeo sint similes, ut sine exacta internarum partium anatomia sexus horum generum dignosci nequeant. In aliis autem ordinibus avium tanta inter sexum masculinum et feminum nonnunquam observatur colorum diversitas, ut ad eandem referri speciem minime posent, nisi progeniei propagandæ causa copulam eas iniisse et hoc factò affinitatem suam efficacissime probasse, observatum foret. Hoc nomine inter alios attentionem nostram meretur Ordo *ACCIPITRUM*. Hic enim si quis alius colorum inprimis variationibus obnoxius est, non itaque miremur errores, qui in descriptionibus et historiis avium, ad illum per-

(b) Vid. *GÖEZE Europ. Faun.* V. B. I. Abth. p. 26.

(c) Vid. *GÖEZE Europ. Fauna*, IV. B. p. 37.

tinentium paslim occurrunt, nostri temporis Ornithologorum
 mira sagacitate demum delendos. Quod autem ad varietates
 sexus attinet jam considerandas, certissimis evictum est obser-
 vationibus, diversas olim species plures in unam, vere iisdem
 cognitis, coaluisse. Sic ut exempla quædam proferamus de
 genere FALCONUM, certo novimus, *Melanaëttem* et *Fulvum*
 unam modo constituere speciem, cujus *Melanaëttes* mas, *Ful-
 vus* vero femina est. Idem valet de speciebus *Cyani* et *Py-
 gargi*, quarum *Cyanus* marem, *Pygargus* feminam ejusdem
 speciei exhibet (d), ut alias taceamus species ejusdem indolis,
 quas omnes angusti limites harum pagellarum commemorare non
 patiuntur. De genere STRIGUM eundem in modum species
Aluconis et *Stridule* olim distincte unam tantummodo jam
 constituunt, mare scilicet *Alucone* et femina *Stridula* ejus-
 dem speciei revera existente. (e) Qui in genere TETRAONUM
 attendit ad differentias, quibus sexus in quibusdam speciebus
 distinctos voluit natura, non potest non variationem, qua iis-
 dem distinguendis illa ludit, admirari summar. Feminas TE-
 TRAONIS *Urogalli* et *Tetricis*, num ignorata affinitate sexus
 qua conjunguntur, eidem cum illis speciei salvis nimirum no-
 tis, quibus in speciebus avium determinandis alias utuntur hu-
 jus scientiæ cultores, quispiam inferere auderet? In ordine
 ANSERUM quis marem ANATIS *mollissimæ* cum sua femina ean-
 dem constituere speciem sibi, nisi natura edocente, persuaserit?
 Eundem certe alias, cum novissimis etiam auctoribus errasset
 errorem, qui nondum probe cognitis cujuscunque speciei sexu-
 bus, modo coloribus variarunt individua obvia, eadem, novo
 addito nomine, ut novas descripserunt species. Quo factum
 est, ut de ANATIS *Marile* femina non ita pridem novam con-
 stitu-

(d) Vid. BECHSTEIN. Gemeinnütz. Naturgeschichte Deutschlands. B.
 2. p. 213.

(e) Vid. Sv. Vetensk. Acad. Nya Handl. Vol. XIV. p. 269.

stituerint speciem scilicet ANATIS *fronatae*, (f) e femina MERGI *Albelli*, MERGUM *Minutum*, de MERGI *Merganseris* sexu femineo MERGUM *Castorem* (g), ut pluribus ejusmodi erroribus recensendis superfedeamus, ad reliquas, quæ variationes colorum in avibus producere valent, causas pro virili considerandas, jam properaturi.

§. 2.

Coloribus pro diversa sua ætate variare quasdam saltem aves, procul omni est dubio; an vero omnibus, et qua demum ratione atque ad quem tenorem hæc iisdem contingat variatio, certo nondum definiiri licet. Per omnes enim ætates, singulas earum observare vicissitudines, non modo difficillimum evadit, sed etiam in quibusdam ordinibus humanam sagacitatem excedit omnem. Quæ etiam in cicuratis et domesticis observatæ feruntur, parum sane lucis huic rei afferunt; certissima quippe et quotidiana evincimur experientia, aves etiam sublevissimo sensu captivitatis vel ademtæ libertatis, mirum quantum de nativa sua perdere indole, et iis obnoxias fieri mutationibus, quarum immunes alioquin erraticæ seu feræ, per omnem suam forent ætatem. Non itaque miremur in tanta hujus rei difficultate, species avium nondum rite determinatas esse, sed in scientiæ calamitatem, prout cuique visum fuerit auctori, justo aut plures aut pauciores tradi. His autem fatis jactatur nobilissima scientia in tradendis descriptionibus illarum imprimis avium, quas longævas faulrix voluit natura. Harum quippe de ætatum vicissitudinibus dependentes mutationes, cum per longiora durent intervalla, non possunt non sæpius observari, et observatæ, si attentione dignam quandam prodant differentiam, animum observatoris de specie cui inferantur, hisce ab aliis avibus diversæ ac differentes, reddere

A 3

fluctu-

(f) Vid. LINDROTH Museum GRILLIANUM pag. 13. N. 270 et 271.

(g) Vid. Sv. Vetensk. Acad. Nya Handl, Tom. VI. p. 309.

fluctuantem. Testantur hanc rem non leves nec rari, industria recentiorum Ornithologorum jam correcti errores, quorum minima nequaquam pars, colorum variationibus, quas scilicet pro varia sua ætate diversas, grandioris præsertim ævi aves inspectandas stiterunt, suam debet originem. Examinemus tantum familias avium ordinis ACCIPITRINI, ANSERINI vel cujuscunque fuerit, modo aves solito longioris ævi sub se comprehendant, oppido patebit, easdem hunc in diem hujusmodi errorum fuisse feracissimas. Sic jam indubia constat experientia FALCONES intra annum ætatis tertium nunquam obtinere colores, qui certo species eorum indigitarent; quare etiam in illis determinandis Ornithologi errarunt fere omnes. (a) Cujus veritatis illustrandæ ergo quædam exempla proponere a re forte nostra non erit alienum. FALCO *niger*, — *aquila* et — *albus*, ut distinctæ a quibusdam descriptæ species, plenius perfectiusque cogniti, unam jam et eandem revera constituunt, cujus individua in adulta ætate *Aquilam*, in provecta *nigrum*, et demum senio penitus confecta *album* sistunt. FALCO *Leucorhynchus* ex observationibus recentiorum auctorum junior est avis, quæ adulta ætate in FALCONEM *Haliætum* declaratur. FALCO *Gallinarius* est bimus pullus FALCONIS *Palumbarii*. FALCO *Maculatus* mas junior FALCONIS *Nævii*. FALCO *ater* junior *Buteo*. FALCO *Austriacus* mas junior *Subbuteonis*. (b) E PICIS ordinis *Picorum* PICUS *Medius* est pulcherrimus annuus PICI *majoris*. (c) De Lari genere pro diversa ætate individuorum speciei *Tridactyli* diversas et distinctas quondam etiam species finxerunt, de annuo pullo *Nævium*, bimo vel ad summum trimo *Cinerarium*, de adulto *Risam*. (d)

Nu-

(a) Vid. SCOPOLI Ann. Hist. Nat. V. p. 7. §. I.

(b) Vid. BECHSTEIN Anhang zum ersten Bande von LATHAMS Ueberf. der Vögel, citat. in MEYERI Zool. Ann. p. 325 et sequ.

(c) Vid. GOEZES Europ. Fauna IV. B. p. 351.

(d) Vid. Sy. Vet. Acad. Nya Handl. Tom. IV. p. 113. sequ.

Numerum specierum generis *PODICIPIS*, jam e genere *COLYMBI* *Linn.* divulgati (e) varietatibus ex colorum differentia in diversæ ætatis individuis ortis, præter naturam auctum esse, experientia edocti scimus certissima. *PODICERES* enim *Urinator* est annuus pullus *Cristati*; *PODICERES Parotis* (f) nondum adultus *PODICERES rubricollis*. (g) Eundem in modum de juniore *ALCA Torda*, novam hujus generis speciem nomine *ALCÆ Balticæ* descriptam proposuit *CL. BRUNNICHE* propediem excludendam. (h) De ordine Gallinarum novimus *PAVONIS Cristati* marem tertio demum anno togam dorsalem acquirere, quemadmodum et *MELEAGRIDIS Gallopavonis* barbam suam pectoralem in tesferam adultæ virilitatis, immo *PHASIANI Gallæ* anno primum elapso caudam suam erectam falcatamque. (i) Verbo, paucæ omnino sunt avium species, quæ non quibusvis variationibus diversam suam ætatem indicant, ab Ornithologis itaque, ne in errores deducantur, omni qua fieri potest industria observandis et examinandis.

§. 3.

- (e) Characterem hujus generis sequentem proponit *CL. TENGMALM*:
Rostrum rectum, acutum, lateribus compressum mandibulis æqualibus.
Nares lineares. *Lora* nuda.
Lingua apice leviter fisca.
Corpus depressiusculum.
Alæ breves.
Cauda nulla.
Pedes pone abdomen, valde compressi, 4 dactyli: tibiis pollice duplici ferie ferratis.
Digitii lobati: lateribus lobo simplici instructi interiore membrana lata cincti.
Ungues plani lati humanarum ad instar.
- (f) Vid. *Mus. CARLSONIAN.* Fascic. I. Tab. 9.
(g) Vid. *Sv. Vetensk. Acad. N. H. Vol. XV. p. 303 et 306.*
(h) Vid. *Sv. Vetensk. Acad. N. H. Vol. IX. p. 215.*
(i) Vid. *GOËZE V. B. 2. Abtheil. p. 402.*

Verosimillimum porro videtur, aves pro diversis, quas habitant cœli plagis, varias quoque subire colorum mutationes. Nam quæ tantopere, prout quotidiana testatur experientia, in reliquorum animalium non modo indole, sed etiam statura et coloribus mutandis valent climata diversa, quin et in aves, quadantenus saltem eandem exerceant vim, non omnino est quod dubitemus. Sed præterquam quod plurimæ earum adeo arctis alligatæ videntur cœli plagis, ut aliarum in se vim experiri minime queant, (a) illæ etiam, quæ ob latius extensum in œconomia naturæ ministerium, per totum fortassis orbem dispersæ oberrant, peregrinis in regionibus quacunque fere detecta diversitate colorum mox peregrinæ quoque suis descriptoribus obveniunt et ad antea cognitæ species ægre referendæ. Quo autem factum est, ut fere nihil aliud de vi et efficacia diversarum cœli regionum, in producendis quibuscunque varietatibus avium pro certo habere possimus; quam quod in domesticis et cicuratis experiri nobis detur. Novimus quidem PHASIANUM *Gallum* ex Insula *Pouli candor* Indiæ Orientalis originarium, per totum fere orbem jam mansuefactum et dispersum in septem (b) et, ut quibusdam placet, plurimas degenerasse varietates, quarum, licet in cicuratis valde inconstantes deprehensæ, illæ colorum singularitate insignes, non omnino infimum sibi vindicant locum; an vero eadem ex climatum diversitate unice derivandæ sint, vel in aliis simul concurrentibus causis suam agnoscant originem, certo nondum definiri potest. Simili fere ratione variare speciem *Gallopavonis* generis MELEAGRIDUM, quotidiana etiam edocemur experientia, et verbo quotquot nostros in usus fovemus species avium, nobis tamen de genuinis harum variationum omnium causis æque dubiis

(a) Vid. LINN. Syft. Nat. edit. XII. Tom. I. pag. 112.

(b) Vid. LINN. Syft. Nat. edit. XII. p. 271.

dubiis manentibus. Quæ ex erraticis proferuntur exempla avium vi et influxu climatis coloribus variantium, rara sunt et pauciora, quam ut ex iis detegi atque erui possit norma quædam, quam in istiusmodi producendis variationibus sequeretur natura; quod autem revera existant et observatis cognitisque plura existere possint, liquido probant, in simul ostensura, quam difficile etiam oculatissimis sit Ornithologis ab erroribus in speciebus avium determinandis semet cavere, si neglecta ad omnes res circumstantes attentione debita, præcipitanter nimis in hoc negotio versentur. Luculentissimum exemplum effectus diversorum climatum in coloribus avium mutandis nobis offert CORVUS *Corax* in regionibus fere omnibus atro-cæruleo-ferro suo colore notissimus, qui in insulam profugus FERRÖ albo nigroque varius occurrit, et hunc sibi contractum pennarum colorem per omnes dein a pullo ætates optimo vigore sustinet infuscatum, manifesto indicio, quod suam hic a congenerum tantopere diversus, nec morbo cuidam nec senio, sed sine dubio, influxui diversæ cæli plagæ debeat originem. (c) De FALCONE *gyrfalco* etiam relatum legimus, quod a Norvegia in Sileciam progrediendo per gradus sensim albescat, usque quo demum penitus albus evadat, rarissimis in dorso maculis residuis flavescens profapæ suæ indicium minime dubiis. (d) STRIX *Scandiaca* corpore suo albido tantum a *Bubone* dignoscenda, procul dubio, mera est varietas *Bubonis* ad frigidiores cæli plagas delatæ. (e) Quum et sub eadem cæli plaga aëris diversæ tantum temperies colores avium mutare valeat, quod inter alia exemplum probat TETRAONIS *Lagopodis* hieme albescens; omni omnino caret dubio, aves diversis sub cæli plagis, diversas etiam ostendere colorum

B for-

(c) Vid. ASCANII Fig. enlum. Hist. Nat. Premier cahier, Tab. VIII

(d) Vid. GOEZE, B. 4. p. 173.

(e) Vid. SV. Vetenks. Acad. N. Handl. Tom. XIV, p. 237.

formas, quæ in causa esse possunt, ut allatis exoticis e regionibus earundem species præter modum et naturam aliquando adhuc dum augeantur.

§. 4.

Morborum quanta sit vis in quibuscunque animalium conditionibus et labefactandis et mutandis, qui noverit, non omnino mirabitur eorum ex influxu in familia avium etiam derivatas colorum varietates. Quemadmodum vero ad naturæ nutum per omnem vitam totas se fingentes aves erraticæ, raro sane morbis vexantur, iisdemque afflicte in secretissimis et inuis prorsus semet occultant locis, in quibus ut Poëta cecinit:

Vitaque - - - fugiat indignata sub umbras;

rarissimæ certe huic rei quandam læneraturæ lucem observationes proferri possunt. Morbis nihilominus colores avium sensim dilui, remissioresque fieri usque quo interdum quoque penitus evanescant, ex opinione vulgi ab antiquissimis retro traditum est temporibus; qua vero fide, nobis nondum certo liquet. Hinc autem factum est, ut plurimæ varietates albæ avium, saltem probe cognitarum, mere habeantur morbosæ. Exempla harum nobis sistunt CORVUS *Pica cinerea et fuliginosa*, HIRUNDINES, TETRAONES, TURDI, ALAUDÆ, et quæ passim in scriptis Ornithologorum occurrunt varietates avium morbosæ habitæ albescentes. An vero harum omnes morbo cuidam suam tantum debeant originem ab aliis causis minime derivandam, et an nullæ aliæ varietates ab iisdem produci possint, vix quisquam asserere audebit. Quæ quidem prostant albæ suo cum colore, etiam parciore pennarum vestitu, odore a nativo peregrino, oculis rubris, et reliquis morborum avium status signis dignoscendæ, quin hunc suum mutatum quoque colorem ægritudini debeant suæ, nulli dubitamus, licet de cæteris, in quibus hæc morborum indicia non apparent, omnino nec præter omnem rem ancipites hæreamus. Fieri porro potest, ut, quam morbi

qui-

quidam colores avium diluant, alii et totidem pro diversa sua indole eosdem vicissim obscuriores et profundiores reddere possint, cui tamen rei inquirendæ parum, si quid, laboris operisque, prout quidem nobis constat, in hunc diem impensum est. Quantum itaque in hac Scientiæ Naturalis particula, quemadmodum in multis aliis, futuris adhuc indagandum relictis temporibus, nemo non videt.

§. 5.

In speciebus avium certis et genuinis determinandis, quum tantis, ut ex disputatis liquet, adhuc preminur difficultatibus, merito quæritur an sperandum sit, easdem aliquando dimoveri posse? et hoc concesso, qua industria et arte id demum fiat? Quocirca nobis mox monendum videtur, multum hac in re lucis expectandum fore a fedula et solerti ad nuptias avium attentione. Quæ enim iisdem nuptiis adsunt aves, necesse est, eandem etiam, licet coloris fuerint diversissimi, constituent speciem. Proferuntur quidem exempla avium cum aliis diversæ speciei aliquando stupro quasi coëuntium, sed rariora, in statu saltem earum libero sunt, quam ut ex iis forsitan oriundi errores in censum venire mereantur. (a) Præterea ad naturæ præscriptum hisce gaudiis, nondum adultis et infirmis minime uti licet, (b) ex congregatis ad eadem, si itaque quasdam conjuncta quasi vi ex iisdem expelli observamus, quid verosimilius videtur, quam expullas aut expellendas, vel ob juventutem suam vel quancunque aliam infirmitatem reliquis fuisse exosas. Desiderium coitionis probat quidem, quod ejusdem sint speciei, et obviæ idcirco in his colorum varietates

(a) Confr hac de re HOLMBERGI Dissert. de Animalibus hybridis sub Præsidio Præsid. nostri ventilata.

(b) Cfr. JUVELII Diss. sistens Specimina instinctuum quibus Animalia lux prospiciunt soboli, §. II. Præf. eodem.

tates a juniore ætate aut morbo vel alia quademuncunque infirmitate derivandæ. Quarum omnes, in quibus aliquantum membranæ illius Pullorum scilicet luteæ, laxæ et mollis ad utrumque oris angulum residet, mox, idque merito suo, juventutis et nondum adultæ ætatis suspicamur, reliquis interim, et usque meliora edocemur, cohorti morbis infirmarum adscriptis. Si eadem sagacitate ad rimandas reliquas avium in œconomia Naturæ operationes animum adverterimus, nullum omnino remanet dubium, quin natura etiam in hac re æque ac in plurimis aliis, in meritum industriæ et adhibitæ diligentie præmium, sua tandem, licet sensim revelet mysteria. Injunctæ vero non modo sed imperatæ brevitati ut satisfaciat, filium Dissertationis hic abrumpere cogimur.

Tantum.

